

49. Quod si igitur queritur, quid in inferno Christus egerit, respondemus cum Formula Concordiae, quod Satanam devicerit, potestatem inferorum everterit, Diabolo omnem vim & potentiam eripuerit: non quidem, quod post sepulturam in descensu demum hoc praestiterit: siquidem jam ante hoc effectum esse testatur Scriptura. Hebr. 2, 14. & 15. Coloss. 2, 14. Sed quod victoriae trophaeum ibi etiam statuerit, sic docentibus propheta & Apostolo, Hos. 13, 14. 1. Cor. 15, 55.

50. Modum & Qualitatem hujus Triumphus, cum Spiritus Sanctus in scripturis aperire noluerit, ne nostrum quidem fuerit altiùs & curiosiùs eum velle rimari.

51. Et si rationis iudicio investigare eum possemus, non amplius Articuli Fidei nomen mereretur: Quare ut Formula Concordiae piè admonet, in hoc mysterio fides duntaxat est adhibenda, & verbum Dei firmo assensu retinendum.

52. Reliquas proinde quaestiones quae agitari solent, vel penitus relinquendas, vel certè sobriè ac cautè tractandas statuimus.

53. Inprimis a. rejicimus eorum ματαιολογίαν, qui partim descensum cum sepultura confundunt. & illum hujus duntaxat ἐξήγησιν habere autumant: partim verò ad dolores illos inferni, quos in toto passionis actu Christus sustinuit, eundem descensum referunt.

X

Prius